

Philosophandumne sit

Illustri ac magnifico domino Severino Bonero a Balicze, castellano Biecensi, Zupario, Burgabio, ac Magno Procuratori Cracoviensi, et Osswecimensi, Rabstinensi, Ducatum capitaneo, Domino praestantissimo Tranquillus Andronicus felicitatem.

Proximis diebus Illustris ac Magnifice Domine, cum ex Italia venissem ad illustrissimum ac magnificum Andream Comitem a Gorka castellanum Posnaniensem summumque maioris Poloniae Capitaneum: qui virtute, splendore, magnitudine animi aliisque praeclaris dotibus nemini hac aetate clarissimorum hominum facile concesso iamque re perfecta, parantem isthuc proficisci, partim ut post ingentes aerumnas tuo iucundissimo conspectu sapientique oratione recrearer; non enim abhorres ab eorum congressu (quacumque fortuna sunt) quos tui cupidissimos et observantissimos esse cognoscis, partim alios quoque fautores et amicos inviserem, praecipue excellentissimum Iohannem Comitem a Tarnow castellanum Cracoviensem, pace belloque clarissimum. Reverendissimum et amplissimum Samuelem episcopum Plocensem. Cancellarium Regni Poloniae, mansuetudine, pietate, eloquentia facile principem. Nec non praestantissimum Stanislaum de Lasko Palatinum Siradiensem, consilio, gravitate, constantia eminentissimum. Retinuit me ipse comes iisdem iniectis mihi vinculis, quibus iam pridem colligaverat. Siquidem a die, qua in eius familiaritatem ascendi, semper incredibili benevolentia me complexus est omnemque vim humanitatis in me non obscure exercuit. Cuius tam excellentis tamque benevolis principis non modo sum reluctatus voluntati sed parui equidem haud invidus, nam vinci humanitate semper turpissimum iudicavi. Hic igitur magnanimus comes cum partim iuridicundo partim aliis publicis et privatis amicorum negotiis plurimum occuparetur atque hic omnia fere symposiis definirentur, nolui bonas horas quae superabant male collocare. Itaque dederam primos dies continuos lectioni Platonis et Aristotelis, ut aliqua ex parte revocarem in memoriam studia philosophiae longissimo tempore intermissa. Quo quidem opere districtum vir quidam eximius, et in litteris non mediocriter versatus, cum saepe invisens ex officio reperisset, tandem pro amicitia conatus est ab instituto abducere. Atque illo negante philosophiam anteferri debere vivendi rationibus, me autem affirmante, orta est non levis

disputatio, quam ego litteris mandavi, ut extaret otii ratio, quo tunc abundabam. Sequutus sum tenue genus orationis et ab pigmentis rhetoricis penitus abstinui, ne in difficillimis rebus explicandis ornatu ipso cumulandoque hilem argumentationum et exemplorum, quae catervatim occurrebant, oratio redderetur obscurior implerenturque volumina. Proinde rem perstrinxi quam brevissime, luce tamen verborum addita, ut cum res intelligi primo aspectu possit, tum ne lector verbositate fastidium contrahat. Hanc tibi disputatiunculam mitto atque dedico, cum pro tuo singulari erga me amore, tum propter meam summam in te observantiam. Scio enim (quo candore es) etsi non fuero assequutus. Quod optabam, meum tamen conatum esse probaturum nec parum videbitur in tantis obscuritatibus probabilia dixisse. Nolim autem quempiam offendi, si quod in hoc libro nobis exciderit alienum a dogmate Christiano, dum exercendi gratia ingenii, conamur idoneis coniecturis, opiniones quorundam philosophorum de anima eiusque partibus et affectionibus obiter refellere. Nam ecclesiasticae veritati perpetuo nos addiximus. Tibi tuisque omnibus omnia precor felicia. Posnaniae, 16. Decembris 1544. [...]

Hic me plura dicere parantem interpellavit: Multa inquit graviter, multa etiam praeclare collegisti, illud autem minime consentaneum rationi videtur, quod arbitraris nos tantum ex libris institui ad cultum pietatis et iusticiae, quasi libri continentes praecepta sapientiae cecidissent e caelo nec essent ab hominibus perscripti.

Quaero igitur divinitus ne homines eam doctrinam sancte pieque vivendi acceperunt, an per semetipsos (ut credere par est) invenerunt excolueruntque? Procul dubio inquam tribuenda est origo et incrementa eiusce re hominibus propter animae vim quandam in excogitando et perficiendoque divinam: quam summa dei optimi benignitate idoneam ad omne genus virtutis inveniendum, tractandum, ediscendum accepimus. Quid igitur obstat inquit quo minus degere iuste sancteque possimus absque cognitione literarum, quandoquidem iusticiae semina habemus in natura insita? Sane plurimum: nam quomodo iusticia uteris si quid sit iusticia nescias neque iusti teneas definitionem? quod ut multis voluminibus explicatur, ita non discitur sine multo labore. Nonne ridiculus apparebit, si quis e vulgo, qui nunquam antea tibiam inflasset, conferri tamen cum Ismenia canendo tibiis velit? omnino inquit. Sic inquam de aliis artibus et scientiis iudicare oportet? Nemini eas divinitus contingere, sed

quaerendas esse magno studio atque in iis excellere, nisi quis longissima spacia aetatis collocaverit, haud cuique mortalium concessum est. Proditum est multorum literis Themistoclem virum alioqui singulari et olim in Atheniensi Republica principem palam confessum esse, nescire se lyra canere. Quod si huic excellentissimo viro, in quo multae, praeclarae artes elucebant, cuius consilio atque virtute Graecia servata est, qui non dubitavit iactare se Rempublicam ex parva posse facere amplissimam et opulentam, si inquam huic contigit nescire minimam particulam musicae, quae aurium dumtaxat oblectamento est, quia in ea se non exercuisset, quid dicam de his, qui inferiores sunt ingenio alienique a studio literarum? An divinam illam virtutem, quae sola certam et compendiarium viam nobis ad beatam vitam ostendit quam plerisque mortales summis adiuti opibus ingenii diuturnisque lucubrationibus aegre tandem assequi potuerunt; inertes illi homines abutentes otio atque desidia, non adhibitis doctoribus, tamquam virgula divina suppeditari sibi gloria buntur? Quae esset aequitas, quum una eademque cunctis mortalibus et caelestis et terrena origo est; si virtus ab aliis pararetur maximis laboribus, aliis oscitantibus et crapulam eructantibus sponte per os incurreret, res longe aliter habet. Nam in arduo sita est ac vallatur undique locis asperis et praecipitibus.

Plurimum sane sudandum est, priusquam eo quispiam pertingat, quamvis radices amaras habeat, fert tamen fructus suavissimos. Ergo inquit supervacua sunt munera legesque parentis naturae ad vitam sancte honesteque degendam, mortalium animis ab orbe condito infixae? Minime, inquam, atque ego existimo facinus inexpiabile committi in accusanda naturae providentia. Bene nobiscum ageretur, si divinum eius consilium in creandis rebus singulis disponendisque et conservandis satis admirari possemus. Istud non quaero, inquit, potius id velim probari, cur non licet solo naturae instinctu absque ullis praeceptis secundum virtutem agere? Iam receptum est inquam hominumque opinione firmatum animas in corpora delabi nudas et simplices ac tantum abest, ut aliquod magnum opus suapte vi naturae effingant (quemadmodum narratur de Cycloperum terra, quam dicunt feracem innata bonitate citra omnem cultum et laborem per se ipsam nascentes fructus producere) ut etiam non fari, non ingredi hominem, non quidquam omnino *sine aliorum adiumentis* posse haud dubium est, omnis in anima scientiae principium a sensu oritur

neque alias temere nisi per aures influit, exceptis symmetriis geometricis syderumque cursu et aspectu; hae siquidem artes maxime oculorum sensu percipiuntur. Dum igitur homines palantes et vagi primaevis illis temporibus, seorsum quisque incertis sedibus per silvas et campos agerent, parum differre a bestiis credebantur, quia sicut illae solum ventrem curarent, de recta quidem institutione vivendi nulla inter eos ratio extaret; sed postquam natura instigante, quae semper ad optima oculis quibusdam igniculis hortatur, coeperunt habere congressus, miscere colloquia, coetus facere; coepere quoque paulatim etiam feros mores exuere, deinde aedificatis successu temporis domicillis et urbibus, quasi in unum corpus coalescere. Tunc tenui quadam specie reipublicae ac subeunte cura quo pacto et partis iucunde fruerentur et ab externa iniuria tuti essent. Dicitur eos invasisse cogitatio honesti simul ac utilis idque fuisse initium condendarum legum excolendique per artes ingenii. In huiusmodi primordiis quaerendi honesti diu vagabantur ambiguis rationibus, aliis atque aliis aliud opinantibus, cum inter se dissiderent ac alius alium subverteret. Tandem post multam saeculorum evolutionem exquisita ingenia, cum abundante ocio, sese ad meditationem earum rerum totos convertissent, hoc sane consecuta sunt, ut rectum officium, quo nunc utimur, invenirent mandaruntque *literarum monumentis, fidelissimo thesauro memoriae* ad posteritatis utilitatem multas variasque disputationes et clarissima documenta, ne desiderarentur ab iis, qui ad ea forte aspirant ac veluti ax subiecto flumine pro libidine haurirent. Nam unius hominis memoria tot res tam diversas complecti non potest, si vel cornicis aetatem superaret. Haec est illa commoditas ex studiis philosophiae ad veram normam vivendi, de qua paulo ante locuti sumus. Et nimirum haud obscuris rationibus ad ea naturae inclinamur, cui quidem parere imprimis tutum atque honestum est. Quare tametsi naturae magnam vim esse non ignoramus, tamen sine praeceptis philosophiae, quae literis tradita sunt, constat debilem et mancama esse ad ineundae viae rationes, qua recta ducimur ad beatam vitam. Nec propterea mireris, quandoquidem non sunt haec absurda, nam et in hodiernum diem reperiuntur homines saltibus Ibernicis ac in silvis, ad septentrionem ultra Moschos, qui remoti a consuetudine hominum tantum abest, ut animum ingenuis disciplinis expoliant, ut praeter formam hominis habeant nihil; necesse est enim perinde ut surdi qui nascuntur careant iis quae per communicationes traduntur. Quanti autem momenti sit bona educatio atque institutio infinitis ex-

emplis declaratur: qua in re proferre possum testes neque dubios, neque nimis obsoletos, sed huius temporis viros gravissimos, quibus, quum fungentes legatione apud principem Thurcorum versarentur cum satrapis insigni prudentia magnitudineque animi praeditis, miraculum videbatur eos pueros, dum pascerent greges caprarum, a predatoribus captos institutosque litteris et disciplinis militaribus in tantam animi atque ingenii claritatem evasisse, ut ex iis Tyrannus ille Thurcorum eligat, quibus cum de statu rerum suarum consultet, quos classibus et exercitibus praeficiat; quum fratres eorum et cognati rudes homines non magnopere vincant prudentia bestias, inter quas degunt. Sic profecto res habet, ut homines ceteris praestant animantibus, ita litterarum imperitis eruditos antecellere. Quid tu at haec vir optime contradicere pergis, an satis factum putas? Commode inquit pleraque ad persuadendum attingisti: verum adhuc urget me quidam scrupulus. At nos, inquam, curabimus illum eximi, si patieris medicamenta salubria. Quidni patiar, inquit? Neque eo dementiae perveni, ut abhorream a sanis consiliis. Cognitio inquam veritatis omnium sententia mea iucundissima est ac eam quivis indagare debet, qui anhelat accedere ad cognitionem dei, quandoquidem ipse deus veritas immutabilis ac sempiterna est. Hic ille, haerendum adhuc nonnihil circa propositam quaestionem. Etenim dum, considero conditionem hominis, quibus legibus natus sit, vita quam fugaci atque caduca, doleo vicem eorum, qui malo quodam genio stimulante, omnem fructum vivendi per inanes occupationes, districti curis atque negotiis non necessariis, ammittunt. Quanto satius foret omissis istiusmodi molestiis traducere animum ad hilaritatem, ac per hos paucos annos sic transcurrere, quasi vixisse non videremur.

Praeter animi tranquillitatem cetera omnia (quemadmodum mea fert opinio) frivola sunt et inania hisque idem finis, qui corpori est. Non seiungemus, inquam, ab hoc ordine philosophiam? Immo, inquit, in primis interdicendum illi nostra consuetudine arbitror, ut quae invehat et nutriat curas inutiles prorsusque alienas a quiete animi: quae in summa rerum omnium vanitate videtur esse una expetenda. At vide, o beate, ne utrumque falsum sit magnaue immerentem philosophiam calumniam afficias, quam nos oportet diluere suamque philosophiae reddere dignitatem. Putas ne animi tranquillitatem existere non sublatis perturbationibus, qui illum permiscet atque exagitant? Nequaquam. Neque mare tranquillum dixeris quam diu ventis perturbatur? Nempe, qui ubi considerint, mare quoque placari? Haud dubium. Similiter nec animus, dum aut efervescit ira

aut premit dolor aut extrariae cupiditates urgent, illam assequitur tranquillitatem quam quaerimus: quod tamquam hostibus in eius possessionem irruentibus, confusus distrahitur. Ceterum ubi sedate fuerint aegritudines animae tum primum securitatem assequitur. An tu aliter existimas? Nunc quid contradicam non habeo prae manibus. Iam ergo inquam confessus es quietem animi non posse simul esse cum perturbationibus in eodem subiecto? Et valde. Ac securitati nullum locum restare obsesso a pravis affectionibus animo? Nec vicissim perturbationes licere irrumpere in mentem sedatam et tranquillam? Id etiam. Deinceps quaerendum est inquam quibus rationibus hi sanentur morbi, et quo pacto revocetur animus ad tranquillitatem. Porro longe falluntur, qui exustumant hoc sibi vel torporem vel molliciem ociumve sedentarium esse praestaturum, quasi per desidiam atque socordiam prohiberentur aditu perturbationes, quo minus in animum invaderent, nec anxietates sequi possent vitam fugientem actiones honestas marcescentemque pigritia atque sepultam. Quod plane molestum ocium tantumque ad mulieres pertinens aequo animo atque corpori noxium prestiferumque medicamentum est. Ut aquae segnes immotaeque facile computrescunt, ita corpus omissis exercitamentis quae bonam valetudinem et vires praestant, haud difficulter in tabem devolvitur. Nulla quidem corporis maior labes existimatur nimia copia ocii, quo et animi quoque vis et acies vehementissime labefactatur et obtunditur et quasi rubigine quadam obducitur stuporemque contrahit: haud aliter ac neglectus et incultus ager, qui sentes et spinas noxiasque solet herbas producere.

Et mens quidem ita se habet ad perturbationes ut arx ad hostes; nam et ab illis facillime irrumpitur in animum stupentem desidiaque corruptum, et ii absque negotio arcem neque custodiis neque vigiliis minitam occupant. Iam plane, inquit, intelligo te dicturum remedia compescendis perturbationibus a philosophia petenda esse. Tum ego, recte tu quidem iudicas, neque aliunde quaeri oportet ne tu ipse quidem inficiaberis, quippe ridiculus haberetur, si quis aedificaturus domum a sutrina peteret adiumenta, non autem ab architectura, quae propria est illius facultatis. Nemo autem dubitat, qui vel modice litteras attigit, philosophiae munus praecipue versari circa iustum et iniustum, quorum usus pertinet partim ad eos qui utuntur philosophia, partim vero per administrationem ad alios.

De his, ut res postulabit expediam quam brevissime; nam minute simul et exacte singula persequi non est huius neque loci neque temporis atque illud etiam praemittendum est, quia cognitio iustitiae vindicat animum ab anxietatibus, quae illum ob ignorationem quemadmodum vultures Titii iecur exedunt et depascunt. Gravissimi philosophorum dividunt animam hominis in duas partes, alteram ratione utentem, alteram vero expertem rationis hanc rursus partiuntur in concupiscentiam et irascibilitatem, ex quibus ingens caterva manat aliorum affectuum; quamquam magis assentior his a quibus tripartito dividitur, videlicet in rationem, intellectum et voluntatem, separantibus ab ea turbulenta affectiones easque attribuentibus animae, quae nobis cum brutis communis est. Nam videtur absurdum quam dicimus simplicem, caelestem referentemque dei similitudinem illam nunc ratione vigere, nunc errorum densa caligine circumfundi. Nec illud est rationi consentaneum, eosdem affectus duplices uno in homine contineri, alios in rationali substantia, quod si alioqui concedimus (deum immortalem) quot in homine turbae concitarentur, quanta confusio quantum certamen esset inter ipsos affectus: quotidie signis collatis dimicaret nulla vi animus erigi posset, quo minus protervis illis et effrenibus beluis geminata eorum potestate perpetuo succumberet. Itaque ratio persuadet, ut ira, dolor, metus, voluptas ceterique turbidi affectus animae sensitivae inhaereant: quam ut habemus communem cum ceteris animantibus, ita et affectiones nostrae similes sunt brutorum affectionibus, existuntque citra omnem dubitationem in locis affectis. Nam et dum excandescimus, lividus quidam color ex accensione sanguinis circa cor, extrema corporis et ipsam faciem occupat, decaedente ira, ille quoque abit, ac pristinus revertitur color. Similiter in metu atque laetitia manifesta signa in corde existunt, illo contrahitur et proinde sanguis et toto corpore subsidio eius accurrit, quia in eo principum vitae sit. Unde videmus timentium exteriores partes corporis, factis imbecillioribus nervis abscessu spirituum, qui sanguinem quoque secum trahunt, tremere atque pallere. Contrarium vero laetabundis accidit. Cor enim tanquam in magna securitate dilatatur sanguisque per membra diffunditur et idcirco perfusi gaudio rubescimus, quo circa vehementer inopinatamque laetitiam optimis rationibus nonnunquam mors consecuta est. Ad quorum affectuum moderandos compescendosque impetus, animus imperator divinitus nobis datus est. Saepe autem illecebra voluptatis ac pueris opinionibus nimium sese referentes illi brutales impetus desciscunt ab imperio rationis, oppres-

saque ratione dominantur, quae tunc imbecilla fit ac iniuriae obnoxia propter ignorationem philosophiae. Hic ut primum sapientia discordiarum omnium extirpatrix comitata iustitia, quae unicuique tribuit suas partes pro dignitate, apparuerit et ratio quae per insitiam altissimis tenebris circumfusa et deiecta erat de gradu suo facta validior atque ad suam reversa naturam resumit munus imperatorium cogitque ad obsequium debachantes per insolentiam affectus; suadente iustitia ut quisque sui officii meminerit, tum ratio suam imperandi dignitatem obtineat, tum ne sese ipsi affectus extra ordinem commoveant, sed ut meliori divinaeque natura obedire assuescant, nec in posterum, coniuncta ratione cum sapientia, ulli turbidi motus extra suos fines progrediuntur, quo animum lacerarent: manet inter eos pax aetherna, illa imperante autoritate philosophiae, illis ex officio iussa exequentibus. Magnis enimvero munita opibus ratio per accessionem philosophiae secure agit, ne quis ex officio iussa ex adversariis posthac negotium illi facessat, quod si contigant quempiam paulum extra ordinem commoveri, ac spectare ad rebellionem, protinus immisso aliquo ex potioribus ducibus, insolentes eius spiritus contundit. Tolerantia dolorem conficit, metus et laetitia redundans occursum fortitudinis prosternuntur, cupiditatibus vero coercendis nihil efficacius temperantia, quae rerum omnium excessus defectusque ad mediocritatem adducit. Hanc igitur, ut vides, ex philosophia consequimur utilitatem, ut eius adiumentis roborato animo, securam plane, tranquillam ac prorsus divinam agere vitam in humano corpore videamur. Neques sapientiae vis praestantissima domicilio tantum animi contenta tam angustis finibus clauditur. Sed (quod multo praeclarius est) longe lateque extenditur, gentium ac populorum saluti et commoditati consulens. An existimas a Mino, Licurgo, Solone leges boni et aequi interpretes et custodes absque perfecta philosophiae cognitione fuisse conditas? Quae quamdiu valuerunt, tamdiu Creta, Sparta, Athenae concordia at bonis artibus floruerunt. Postquam ab his discessum est agitati domesticis discordiis ac privatis commodis intenti, iustitiam in libidinem vertentes, qua praesente cuiusque civitatis status consistit, absente dissolvitur, imperium et libertatem amiserunt. Quis autem melius instruet ad cultum pietatis philosopho, qui vitam et omnia, quae possidemus, refert accepta Deo? Quis gravius hortabitur homines ad pericula, mortemque pro aris, focus, liberis, parentibus, patria subeundam, quam is, qui honestatem utili anteponit? Hic et fortunae insultus atque varietatem et iniurias hominum ac temporum, omnes denique casus ex-

ternos floccifaciet; utpote qui cunctas res humanas se ipso ducit inferiores, omniaque sua non in cuiusque praesidilis sed in suaipsius virtute collocavit. Tanta quidem reverentia sapientiae non privatim modo sed publice quoque habet, ut nullus mortalium, quantumvis audacia opibusque polleat, possit tamen conferri cum illius autoritate. [...]

Propositum fuit, philosophandum ne sit, interposuisti quaestiones de anima et rursus alias scaturientes ex oratione induces quibus tractandis et explicandis multi non solum dies, sed menses et anni consumerentur. Idcirco differamus haec in aliud tempus opportunius et revocemus orationem ad inceptam disputationem de anima. Tum ille, perge igitur tuo arbitrato. Convenit, inquam, inter omnes animam vegetativam ut in plantis sic in corporibus quoque humanis existere, quia haec augmentum praestare dicitur; attamen neque sensum neque rationem posse appellari, utroque enim caret ac penitus ab utroque seiuncta est. Patet quidem cum vegetali non transfundi simul per expulsionem seminis animam sensualem (nam de intellectuali postea dicitur) quum semen nihil aliud sit quam excrementum alimenti mutati, nec posse fieri ut actu insit in eo vis sentiendi, sed eam tempore procedente recipi, cuius rei veritas aliquot manifestis signis colligitur, sed erimus contenti unam exposuisse. Tradunt quidem cum infans in utero movetur, minimum autem sentit atque etiam, quod multo est admirabilius, non vivit animalem vitam. Quonam, inquit, istud argumento? Quemadmodum animal ex attractione aeris et respiratione vivit, hausto subinde ac reddito spiritu, ita si illi adimas potestatem spirandi, non erit unde vivat. Quod plane necesse est accidere infanti concluso in matrice undique obsaepta, quo aer penetrare non valet; tum demum autem spirantem fieri, ubi editus in lucem, aerem hauserit. Quamquam praecipui medicorum constanter affirmant, foetum augeri per annexum umbilici transmissoque a pectore atque pulmone per venas et arterias aere quasi per infundibula canalesque atque eo penetrante per saepta secundae, vegetari pariter atque spirare, quod plane cognosci non potest ex sectionibus anatomicis. Quamvis enim cibatur infans per insertionem umbilici, quasi radicem in uterum agentis quippe fistulosum est aptumque ad sugendum subtilius alimentum. Cetera quidem obvolutus membrana sic iacet, ut nullae venae arteriaeque, non dicam ad os, sed ne ad ullam quidem partem corporis pertingere queant. Apparet autem laxos liberosque meatus esse debere, per quos recepto puriore aere inspiratio et respiratio per os fiat. Siquidem compertum est vel

acino uvae passae, vel alia re minima intra epiglotim in arteriam incidentem et ob id intercluso spiritu, fuisse suffocatos homines.

Constat igitur ex praedictis diversas esse res numeroque differentes potentiam animale et vegetabilem atque in uno animante utramque inesse. Proinde si duabus animabus bruta animalia dotavit natura, ut altera praestarent plantis, cur non credimus homini perfectissimo in terris animali ea parte, qua bestiis antecellit ac propius ad deum accedit, qua sola, inquam, homo dici potest, ac deus quidam inter ceteras animantes, mentem, procreatricem rationis et intellectus, non eductam de potentia materiae, sed divinitus datam accessisse ad compositionem animalis rationalis tertiam partem, quae reliquis partibus quasi princeps praecesset atque moderaretur. Neque verissimile est mentem, cuius actiones nullam communionem habent cum actionibus corporis, idem esse cum altrice sensitivaque anima, quae naturam corporum sequuntur, unde ipsae manarunt. Idcirco determinare oportet, solam mentem esse divinam atque aliunde accedere. Quum autem abstracta sit a materia necesse est a deo veniat vel procreatione vel inspiratione vel alio modo, ut melius ipsi deo visum fuit. Num te non afficit haec ratio? An aliquid certius expectas? Sane inquit non inepta mihi videtur, sed vellem quippiam subtilius afferri. Tum ego, ne istud quidem, quo tibi mos geratur, conari negligam. Haud existimo te latere in plantis terrestribusque pariter et aquaticis animantibus perpetuum servari naturae ordinem ac secundum cuiusque potentiam seminis partus similes in eodem genere forma et virtute gigni, nec umquam variari eorum naturam, quam semel a primordio vim vel abstergendi vel glutinandi vel aliud quippiam huiusmodi efficiendi lasserpitium, intubum et aliae herbae acceperunt, eandem aequaliter in alias atque alias sui generis transfundunt lege immutabili. Nunquam enim fando auditum est aut salutiferum esse aconitum aut mortiferam panaceam. Iam ex feris quaedam vocantur generosae ut leones, tygres, pantherae, lynces, quaedam vero imbelles, ut cervi, lepores, damae, alces. Neque ex his generosi foetus gignuntur neque ex illis imbelles, sed unaequeque naturam et mores parentum retinent, qui per genituram traducuntur. Igitur si modo aliorum animalium rationalis animae natura, vis et inclinatio nunc ad has, nunc ad alias res per seminis propagationem haberentur, nonne partus sequerentur undequaque naturam progenitorum? Et a sapientibus sapientes, fortes a strenuis et rursus dementes ab insanis, ingavi procrearentur ab inertibus? Ceterum longe secus res habet, exemplis siquidem contrariis scatent monumenta

omnium temporum et nobis quotidie ante oculos obversantur stirpium huiusmodi et fructuum varietates: quippe frequenter iucundi proveniunt ex acerbis, salubres ex pestiferis, nec stolidis filiis assequentibus acumen parentum et ex mentibus obtusis plerumque nascentibus praeclaris ingeniis. Idcirco divinus quoque poeta dixit: »Egregia est soboles scelerato nata parente.«

Sed crebrius cernitur degenerari a melioribus, ab optimis quidem creberrime. Nam et proverbio iactatur: »Heroum fillii noxae.« Nec audiendi sunt astrologi auctoritatem arti suae aucupantes, transferentesque causam huiusmodi varietatum in caelestium corporum potestatem, quam sine dubio licet quotidie intueri maximam in concipiendis edendis partibus. Ceterum cum stupidis persuadere contendunt animam rationalem caelestibus influentiis esse subiectam ac ex planetarum aspectu coniunctionibusque varios subinde motus animorum et ingeniorum existere, nullo pacto cum veritate consentit. Nam si vera esset astrologorum affirmatio, nonne stellarum influxus eosdem vel etiam maiores effectus ederent in vitam reliquorum animalium eorumque sensus in diversa distraherent, cum illae ut haec ex materia compactae sunt, ratio quidem et intellectus corporis omnino expertes? Quo fit, ut cum anima multo praestat nobilitate stellis regaturque a semetipsa. Siquidem anima, ut tradit Pythagoras, numerus est se ipsum movens, caelorum potestatem nullam esse in animam rationalem existimemus; nam contra naturam est, ut ignobilius agat in nobiliorem naturam. Unde fit igitur inquit ut tanta studiorum varietas in mortalibus appareat, si animae simplices nudaque demittuntur in corpora, nec quicquam ex superioribus corporibus intra convexa mundi in eas agit? Nulla inquam hic plane difficultas est, si persuadere tibi potest, mundum et in hac parte mundi infima hominem praestantissimum animal a Deo non necessario, sed sua ipsius bonitate creatum esse. Alioqui Deus sui iuris non esset, sed satelles necessitatis, et aliena libidine circumageretur, quod impium ac scelestum est credere. Igitur Deus primus ille motor et architectus universi causaque rerum primaria et ens sempiternum, quum creasset animas ad omne genus virtutis aptas, ut diximus, aequale immortalitate, sed intellectus et rationis capacitate nonnihilo diversas. Has quidem his, alias vero aliis secundum divitiae gratiae suae fecit aptiores, est autem infelicitis artificis semper simulare cupressum, ut ait poeta. Quid vero de Deo sentiendum, cuius sapientia omnem cogitationem exuperat? quippe magnitudo divinae mentis ex incredibili varietate rerum, quas creavit dignoscitur. An dicemus

eum nescivisse nisi ad unum scopum sua tela dirigere, qui mirabili varietate caelum et terram ornavit? Neque de forma rerum loquor, sed de natura praecipue caelestium globorum. Aliam lunae, aliam solis aliorumque siderum ex effectibus eorum conditionem conspicimus: ex quo licet consecrare *supercaelestes quoque substantias variis esse naturis praeditas* quas largitur indefesse benignus ille parens ac sapientissimus opifex ex thesauro non deficientis opulentiae. Eiusmodi plane quibusdam coloribus Deum imaginem suam depingere voluisse ad propriam sui gloriam non dubium est. Itaque si caelestes influxus exercent potentiam in corpora inferiora propter quandam materiae proportionem: non tamen continuo agunt in animam, nisi ratione coniunctae materiae. Neque in omnium hominum animam agunt, sed tantum imperitorum et eorum qui depravati sunt falsis erroribus. [...]

Si diligenter reputabimus immensam dei providentiam, tum in universi, tum in singularum rerum creatione, inveniemus ab illo sapientissimo opifice nihil supervacuum, nihil redundans nihil quod diffluat imperfectumve sit, sed omnia cum mensura et ratione quasi ad lesbiam regulam facta. Naturam et habitudinem corporum cuiuslibet animalis attemperavit ad aeris, loci, pabuli qualitatem et nihilominus benignus ille parens affatim copiam omnium praebuit, ad implenda desideria ceterarum animantium eaque finivit angustissimis terminis, videlicet quatenus naturae satis esset, uni tantum homini immensam atque infinitam cupiditatem in animo insevit. Non eam dico cupiditatem, quae radicatur in parte irrationali, ex profundisque tenebris et inexplicabilibus errorum labyrinthis emergit ac fere omnium malorum caput est, sed congenitam in natura cum ipsa anima, per quam appetimus nostri perfectionem et securitatem. Atqui non videmus hic quamdiu vivimus, quippiam tale illi oppositum, unde satiatus animus conquiesceret, ultra mundum (quatenus magnus est) extenditur semper aliquid infinitum et immensum, cuiusmodi ipse est, appetens. Accusabimus ne Deum iniustitiae, quod lenierit brutorum desideria, propositis omnibus ad eorum usum, hominem vero torqueri velit aethernum cupiditatibus immodicis aestuantem? At quia Dei sumus imago, consentaneum est, maiorem illi de homine curam esse, qui brutis imperat. An requiramus in Deo prudentiam, quod aliquid magnis in rebus temere fecerit, qui ne in minimis quidem quicquam absque summa ratione atque sapientia facit? Proinde credendum est Deum non fuisse pasurum, appetitum quoque rationalem hominis extendi in immen-

sum, nisi proposuisset illi finem, quem adeptus, ultra non angeretur. Quidnam, inquit, appetimus cum ratione? Nempe summum bonum, non autem putes illud bonum, quod quidam circumscribunt magna ex parte fortuitis rebus aggregatum, dubium, varium, mutabile, quo tamen nullus mortalium adhuc potitus fuit sed certum, stabile, sempiternum in sola contemplatione atque adeo aspectu divinae mentis consistens, ex qua ceu perenni fonte voluptates cumulatae omni suavitate fluunt diisque pariter et hominibus (ut Plato inquit) omnia bona proficiscuntur, quae nullius mortalis aut oratione exprimi aut cogitatione complecti queant. Nam si magnopere delectamur intuendo solem illustratorem orbis reliquasque stellas flagrantis ac miram universi pulchritudinem, quanta iucunditas futura est, cum contemplabimur deum ipsum qui haec omnia condidit? An, inquit, ea gaudii merces repromissa est? Omnibus procul dubio, qui conformantes se per omne tempus Dei voluntati iuste sancteque vixerunt? Alioqui stolidi est existimare homines superbia tumentes, ardentis odio, furentes invidia, flagitiis contaminatos commaculatosque sanguine innoxio, praeda, iniuria, caedibus oppletos, contra pium et aequum, proculcatis divinis et humanis legibus, parem esse cum innocentibus remunerationem recepturos, qui totam aetatem contriverunt in liberalibus disciplinis exercendo ingenia, ut exulto animo virtutibus partim quietam et laudabilem vitam agerent, partim ad exemplar sui alios docendo, hortando, consulendo, ad mutuam caritatem et iustitiam, unica vitae humanae precia atque ornamenta provocarent, alios vero deterrerent a scelere atque iniuria. Et reges quidem sapientes et respublicae bene instituae et leges divinae voluntatis interpretes numquam istam aequalitatem probaverunt, sed improbitas multabatur, virtutem laus sequebatur. Atque ea regna, ubi haec immutata sunt, audacibusque et nefariis honores et magistratus deferri coepti sunt constat a stirpe interiisse. Quid putamus Deum aetherae parentem iustitiae non esse aliam habiturum rationem innocentium, aliam improborum? Nihil esset meo iudicio iniquius sub tam aequo iudice, quam ignaros et consceleratos eadem praemia rapere, quae virtuti proposita essent. Qui fit igitur, inquit, ut probitas iaceat in sordibus et innocentiae nusquam tutus locus sit? Quotusquisque principum favens honestati virtutem provehit, uti palam inclaresceret? Sed neque conviviis adhibent, neque cubiculo dignantur, abhorrentes ab ea tanquam a peste presentanea.

Mimis autem et scurris et citharedis nulla pars aedium vacat. Delatores et obtrectatores in ipsa adyta irrumpunt. Quam venales magistratus in civitatibus, quam rapaces praefectos ad provincias mitti videbis; ab his opulentos diripi, pauperes ab illis opprimi, omnia fieri improbe et scelerate sacraque et profana misceri sursum et deorsum. Qui aurium, inquam, atque aliarum partium pruritu capiuntur, his frustra, praeferendo virtutem occines. Quos etiam vesana cupido aliena per iniuriam ocupandi urget, importune ad honestatem hortabere. Si opus est pecunia ad classem instruendam exercitusque comparandos, num probi hominis in eius conquisitione utenur opera, quem citius de vita quam de officio deduces? an potius eorum, qui per acerbitatem exigendis vectigalibus inveniendisque novis subinde formulis ditando fisco per sanguinem subditorum et externorum summi habentur artifices? Idem genus hominum ad alia huiusmodi negotia quasi lues pestilens immittitur. Pauci nimirum hac aetate principes honesta plures utilia sibi quaerunt. Quapropter raro vel a domesticis vel externis tumultibus quiescunt Erinny quadam perturbante atque convellente cogitationes eorum et progressus propter iniustitiam. Quonam ergo, inquit, iustitia ab hominibus secessit? Nempe a Saturni temporibus cum migrasset in caelum ad patrias sedes nondum rediit neque redituram esse hoc rerum statu censeo. Quid igitur, inquit, dicemus providentia regi mundum abque iustitia? Intuendum est, inquam, quia duabus tanquam naturis constamus, anima et corpore: animae quidem Deum agere curam, ut quae ab ipso profecta est eiusque simillima ratione et immortalitate; corporis vero, utpote rei vilis et momentanae gubernationem iniunxisse ministris, sive caelum id sit, sive stellae: sive fatum fortunamve libet appellare. Itaque caeca quadam libidine iudicioque plerunque stolido modo dant divitias, modo eripiunt, nunc evehunt ad honores, nunc detrudunt ad ignominiam: morbos, sanitatem cereraque huiuscemodi nulla certa ratione et praebent et auferunt. Deus plane vilesceret, ut quidam dixerunt, si demitteret sese ad curandam postremam partem orbis atque etiam fecem elementorum. Et qua aloqui iustitia est, atque bonitate non ageretur cum deterrimo quoque egregie et cum optimo quoque pessime. Etsi Deus generatim citra omnem controversiam providentia mundum gubernant, tamen viliores quasdam partes caelestibus globis, qui movent ad ipsius primi motoris imperium, permisit speciatim gubernandas. Luna quidem accepit potestatem vegetandis rebus, Sol vero generandis. Ac ceteri orbis alia huiusmodi sortiti sunt legeque immutabili ac ordine sempi-

terno divinae voluntatis munus exequent. Quare nil manifestius esse potest nec tamen oculis cernitur sed manibus quoque tractatur. Quapropter nil attinet ad rem et alioqui supervacuum esset Deum sigillatim haec minima curare ac se quasi socium ministris adiungere. Nam si Deus haec omnia praesens erat curaturus, non fuit opus administris. Sin autem ab iis reguntur ex ipsius sententia, quid singularis Dei curatio necessaria sit, non intelligo. Ceterum naturae superiori, id est, homini interiori formam ipsius referenti ac ab ipso editae, sic afficitur, ut ab eius cura nunquam discedat. Quamvis autem relinquere hominem in manu sui consilii tamen non cessat eum monere modis multiplicibus, ut in caelum suam propriam sedem intueatur dignaque parente opera faciat, contumax enim filius abdicatur deiciturque de spe adeundae hereditatis. Non dubitemus igitur, postquam cognitum habemus, Dei bonitatem et iustitiam non esse nomina vana et irrita, eorum animas, qui in corpore vixerunt, tanquam extra corpus vixissent, ad Deum esse redituras, ubi sarcina corporis liberati fuerint ibique mercedem operum esse recepturas; necesse enim est ut virtus aliquando praemium reportet: Est autem palam omnibus non fieri iudicium de recte improbeque factis, tantisper dum corpori sumus alligati; nihil igitur restat, nisi ut credamus, rationem ab unoquoque reposci post mortem ac iustos quidem manere vitam deorum beatam, iniustos vero supplicia aetherna.

Fuerat nobis propositum loqui de philosophia, sed coactus sum respondere ad tuas interrogationes, tametsi nihil decessimus ab instituta disputatione. Immo quasi consentientes circa bonum philosophiae in arcana et intima philosophia versati sumus; haec enim pars eius tanto praeclearior est iis, quae de moribus et dicendi ratione tractant, quanto excellentior est vis et magnitudo naturae cuncta feliciter gignentis ingenio inventisque hominum. Mortales quidem propter particulam divini luminis mentibus eorum insitam aemulantur naturam quoad eius fieri potest, nam eius assequi potentiam vel in minimis ludentem nullae vires humanae queunt. Porro quum naturae unumquodque opus admirandum esse videatur nosque allicere debeat ad illum contemplandum. Certe in consideratione animae obstupescimus admirantes eius divinitatem tum in intelligendo verique perspiciendi subtilitate atque prudentia, tum in ratiocinando comparandisque similitudinibus et indagazione rerum abstrusarum. Proinde nullum tempus in occupationibus contemplandae animae intermittere deberet, nam quum animus in se ipsum conversus revolvit caelestem suam originem ac spacia sui aeterna. Nullae aliae

suavitates cum hac voluptate conferri possunt. Quid autem potest esse honestius illa cogitatione, per quam assequimur, ne obliviscamur nostrae dignitatis crebroque in caelum suspiciamus anhelis expectantes felicem reditum ad Deum? Unde vero maiorem utilitatem redundare putemus, quam ex virium rationis cognitione, cui tanquam imperatrici natura servos affectus subiecit, in eiusque posuit potestate? Quae ut Dei quasi simulacrum est, ita nos ab inquinacione sordium rerumque terrenarum concupiscentia dehortando iubet, contemptis fluxis et caducis, quae pertrahunt in interitum, defigere animum in virtute atque in divinarum rerum contemplacione totos occupari. Unde vitam per innocentiam et virtutem acta a corruptione transibimus in incorruptionem ac ex mortalibus in Deos mutabimur. Has nobis mutationes afferet divina philosophia, quam, si sequemur ducem, ipsa nos (aspirante Deo) recta ad beatam vitam adducet. Haec cum dixissem, surrexit inquam, bene collocavimus has horas pomeridianas, sed multa orationis et animi contentione video te fatigatum et aloqui valetudini consulas oportet. Iam receptui canamus, quod restabat, inquam, ad explicandum, alio die prosequemur.

*Cracoviae, ex officina Hieronymi Vietoris,
anno Domini MDXLV.*